

22

R. P. D.

CERRO

Toletana Decimarum

Super bono Jure.

Ven. 15. *Ianuarij* 1723.



BTINVERANT Sanctimoniales Diui Dominici Toleti, vt iterùm audiri possent aduersùs decisionem coram Me proditam die 26. Iunij anni proximè præteriti, & proindè reproposita hodie Causa, Domini in decisis perstiterunt, sed iuxtà modum in præsenti decisione exprimendum.

Denuò enim approbarunt ius Reuerendissimi Archiepiscopi circà exactionem decimarum ex omnibus bonis amplissimæ illius Diœcesis, de quo *Text. in Cau. Constitutum* 16. *quæst.*1., & *Rot. decis.*466. *sub num.*8. *par.*19. *tom.*2. *recent.* cum alijs allegatis in decisionibus Causæ tàm coram R. P. D. meo Foscaro, quàm coram Me emanatis; Vndè promanat, vt Monasterium S. Dominici, pugnando contra hanc vniuersalem causam, exemptionem à decimis sibi asserere non possit pro illis bonis, quæ proprijs expensis colit, nisi illam innixam probet iusto titulo, qui aptus sit contraponi iuris assistentiæ, quam habet Archiepiscopus, ad *Text. in cap. Præsentia de Probation. Rot. inter impress. adornat. Card. de Luc. decis.*15. *num.*5. *lib.*14. *tom.*2., & *in Constantien. Decimarum* 4. *Iulii* 1696. §. *Orta coram clar. mem. Card. Priolo*.

Ta-

Talem verò præstare non potest in præsens immemorabilis consuetudo non soluendi decimas pro bonis proprijs sumptibus à Monachis excultis, super qua vnicè insistebant Defensores Monasterij, nàm cum exemptio in medium proferatur quoad pleraque bona à Monasterio possessa, & præcisè quoad nouem diuersa Territoria, probatio immemorabilis ad huiusmodi effectum constans, & specifica esse deberet respectu omnium corporum terrarum, pro quibus Monasterium excutere tentat onus Decimarum cum indiuidua expressione, vt semper in illis cultura exercita fuerit expensis Monasterii, & nunquàm ab immemorabili solutæ fuerint decimæ; nec fieri potest extensio ab vna specie bonorum ad alteram, cùm etiam in materia immemorabilis locum obtineat regula tantum præscriptum quantum possessum, proùt dixit *Rot. in Calaguritana Decimarum de Ochon 5. Maij 1683. §. Hinc sequitur coram Guaxardo, & in Pampilonen. Decimarum 18. Martij 1703. §. Retentis, & §. Istudque coram bon. mem. Muto, & in Calaguritana Decimarum S. Petri Manriquez 12. Martii 1697. §. Nec prædicta coram bon. mem. Molines*. Aliàs enim nimium exorbitans esset, quod Monasterium mutando modum culturæ, omniaque bona proprijs sumptibus colendo priuare posset Archiepiscopum illis Decimis, quæ vsque adhùc exegit ad tradita per *Rot. coram Bichio decis. 322. num. 8., & in recent. decis. 323. num. 3. par. 18., & in Nullius Tudelæ, seù Tirasonen. Decimarum super Remissoria 9. Iunij 1698. §. Releuantia coram clar. mem. Card. Caprara, & 3. Iulii 1702. §. Itaùt coram clar. mem. Card. de la Tremoille*.

Huiusce autem naturæ nequaquam sunt probationes à Monasterio adductæ; Si enim sermo sit de Testibus examinatis anno 1641., hi testimonium suum restrinxerunt ad Prædia Perobequez, & Vrtada, à quibus ex supra notatis non licet arguere ad cætera prædia à Monasterio possessa; Si verò agendum est de Testibus in præsenti iudicio receptis anno 1705., omnes isti confusim deponunt, nec immemorabilem consuetudinem non soluendi Decimas coarctant ad certa, & determinata loca proprijs sumptibus à Monasterio culta, imò potiùs asserunt, aliqua bona, partìm locata fuisse, partìm propriis sumptibus Monasterij exculta, & sic aliquando decimationi obnoxia extitisse, aliquando non; in qua sanè circumstantia non exurgit probatio exemptionis certi fundi, quæ erui nequaquam potest ex actibus discontinuis, & interruptis, & ex asserta libertate modò vnius, modò alterius Prædij, vt docet *Felin. in cap. Auditis nu. 9. vers. ceterùm, & num. 10. cum seqq. de præscript. Fermosin. in cap. Cum contingat de for. comp. quæst. 2. num. 14. Posth. de manut. obser. 73. num. 177., Rot. decis. 688. num. 11. par. 18. recent. coram Bichio decis. 528. num. 14. coram Carill. decis. 44. num. 16. & cor. Merlin.*

*Sin. decis.*434.*num.*15. *&* 16. Sed ad complendam talem probationem necessarium est, vt fiat segregatio, & distinctio bonorum, ad hoc, vt judicium efformari possit de exemptione cuiusque prædij ab immemorabili stabilita, vt in puncto firmant *Vames. cons.*443.*num.*2. *Rot. decis.*402. *num.*3. *&* 4. *coram Buratto, & in Pampilonen. Decimarum* 11. *Maij* 1703. §. *Retentis coram bon. mem. Muto, & in suis addit. ad decis.*78.*num.*63. *bon. mem. Ansaldus nostri Ordinis Decanus*.

Atqui magis præcisè attingendo dicta Testium, & in specie quoad duo Territoria *de Olias*, & *Magan*, ex illis constat Moniales quamplura terrarum corpora coemisse intra tempus memoriæ Testium, illaque antiquis possessionibus adiunxisse, pro quibus sanè obtendere non valent exemptionem in vim immemorabilis, sed bona in Monasterium transijsse dicendum est cum onere suo, nàm ad effectm eximendi à decimis bona in futurum quærenda, inefficax nõ solùm est priuilegium presumptũ ab immemorabili exurgens, sed, & etiam priuilegium verum, nisi præcisam mentionem faciat bonorum acquirendorum, ex *Text. in Clem.*1. *in fin. de censib. Card. de Luca de Regal. disc.*1.*num.*44. *Rebuff. de decim. quæst.*14.*num.*16. *Barbos. de Paroch. par.*3. *cap.*28.*n.*37. *Pignatt. consult.*8. *nu.*20.*& seqq. tom.*8. *Rot. in Calaritana Decimarum* 27. *Iunij* 1712. §. *Neutiquam coram Reuerendissimo Dño meo Archiepiscopo Neocesarien., & in Hispalen. Decimarum* 13. *Februarii* 1713. §. *Quin ad euitan. coram Eminentissimo Scotto*.

Quo verò ad cæteras Terras, Testes asserunt aliquam illarum partem, seù petiam fuisse cultam à Monasterio, reliquas in affictum traditas diuersis Arrendatarijs iuxtà depositiones vnius ex Testibus ibi = *Nelli quali da quaranta anni in quà lui Testimonio hà visto lauorarli, e coltiuarli dal detto Monastero à sue spese in vn'anno vn pezzo, & in vn'altro più, & in altri meno senza lasciare di lauorare, e coltiuare in alcuno di loro in fino ad oggi, e gl'altri gl'anno tenuto, e tengono in affitto Abitanti di questo luogo* = Et alterius Testis = *sempre hà visto lauorare, e coltiuare à sue spese parte di detti Terreni, & anno tenuti gl'altri insieme con quelli d'Adeguela in affitto diuersi Abitanti di questo luogo* = In his autem terminis cum exclusa remaneat identitas Prædiorum, in quibus verificari valeat præscripto, & radices figere potuerit immemorabilis possessio, non potest Monasterium explendo culturam proprijs sumptibus totius Territorii exemptionem prætendere, qua via certò certiùs plenariam sibi pararet exemptionem super istis Prædijs, in quibus nulla cadit immemorabilis, & assistentia iuris militat pro Archiepiscopo, ad animaduersa per *Hostien. in cap. Commissam num.*2. *de decimis, Abb. in cap. Cum in sua num.*13. *&* 14. *eod. tit. Vames. cons.*442. *num.*2. *Rot. decis.*401. *num.*3. *&* 4. *coram Buratt. & in recent. decis.*22.

 *num.*10.

num.10. par.10. & in Burgen. Decimarum de Bellorado 26. Februarii 1714. §. *Neque coram Reuerendissimo D. Archiepiscopo Rauennaten.*

Sed in vniuersum quoad omnia corpora Terrarum Testes deficiunt in requisitis ad probationem immemorabilis, vt etiam probauit præterita mea decisio huius Causæ §. *Quoniam*: Nullus enim deponit iuxtà methodum traditam à *glos. in cap.1. verb. memoria de præscript. in sextò*, quod scilicet ex bonis de quibus agitur nusquàm viderint, aùt audiuerint solutas fuisse Decimas, quodque id nec etiam audiueriut à maioribus, nec itidem isti ab alijs maioribus, & rursùs, quod præfata solutio fieri nequiuisset, quin ipsi sciuissent, vt explicát *Adden. ad Buratt. decis.673. n.6. Rot. decis.458. num.2. coram Pamphil. decis.159. num.4. & 6. coram Otthobon. decis.33. num.6. coram Emerix iun. & decis.96. num.15. & 16. par.17. recent.*, & post *Antonell. de iur. & oner. Clericor. decis.18. num.12.* Quin potiùs aliqui ex præfatis Testibus eandem negatiuam excludunt, asserendo contingere potuisse, vt Ministri Archiepiscopatus Decimas petierint, & exegerint absque eo quod ipsi id sciuerint, quapropter si verum est Testes in hac materia attendendos non esse nisi negatiuam coarctent, eo minùs attendi debebunt, quatenùs eandem negatiuam excludant *Rot. decis.1. num.9. coram Ninott. decis.85. num.2. coram Otthobon. decis.45. num.5. coram Celso, decis.508. num.2.3.9. & 15. coram Penia, decis.528. num.11. coram Bichio*, & notauit præcedens mea decisio §. *Quinimò.* Eoque fortiùs cum specifice deponant de conquestionibus Archiepiscopi, qui ad exigendas decimas ex bonis de quibus agitur processerat per censuras contra Monasterium, vndè elisa remanet immemorabilis, quam si prosternere potest simplex, & nudus rumor in contrarium ad tradita per *Add. ad Gregor. decis.298. num.13. Card. de Luca de iurisdict. disc 8. num.9. bon. mem. Ansald. in addit. ad eius dec.68. num.82. Rot. dec.1206. num.14. coram Emerix, & in recentior. decis.208. num.15. par.17.*, multò magis id operari valent facta positiua, actusque adeò vehementes, vt sunt illi comminationis censurarum sicuti notat *Felin. in cap. Illud num.7. & 8. de præscript. Rot. coram Coccin. decis.172. num.6. cor. Buratt. dec.457. num.3. coram Bichio decis.356. num.12. in recent. decis.94. n.23. par.7. & in Augustana Decimarum* 13. *Martii* 1719. §. *Neque, &* §. *Quadragenaria cor. R. P. D. meo Foscaro.*

Præterea ijdem Testes excludere videntur substantiale fundamentum immemorabilis indicando principium, quod Prædia cæperint coli expensis Monasterij intrà tempus triginta, vel quadraginta annorum, quæ sanè memoria recentis initij non attingentis centenariam cesṡare facit immemorabilem, vt dixit *Rot. in Troiana delationis Crucis* 10. *Decembris* 1708. §. *Eoque potissimum*

mum

rum coram *Reuerendiss. D. meo Archiepiscopo Neocesarien.*; sed, & etiam nil deposuerunt super publica voce, & fama quoad tempus præteritum, hanc dumtaxat asserendo per verbum *est* relatiuum ad tempus præsens, & tamen fama, quæ comprobare valeat immemorabilem respicere potiùs debet transactum, sicuti in terminis huius requisiti notarunt *Gabriel. de præscript. conclus. 1. num. 74. Rota coram Seraphin. decis. 469. num. 2. & 4. coram Penia decis. 641. num. 9. & 10. & coram Bichio decis. 528. n. 11.*

Descendendo nunc ad explicationem modi, quo Domini præcedentem resolutionem approbarunt, ille est, vt Moniales exemptione a Decimis frui debeant quoad Territoria, seù Tenutas nuncupat. *Perobequez, & Vrtada* proprijs earum sumptibus exculta: Siquidem quoad ea visum fuit plenissimam immemorabilis consuetudinis probationem resultare ex testimonio quamplurium Testium examinatorum anno 1641. in lite acta inter Mensam Archiepiscopalem, & Monasterium S. Dominici, in qua vno ore prefati Testes articulatam exemptionem à Decimis professi sunt iuxtà eorum memoriam triginta, quadraginta, atque etiam sexaginta annorum cum omnibus requisitis auditus, famæ, nullius in contrarium rumoris, cæterisque ad probationem immemorabilis conducentibus, qua sanè admissa probatione dicendum est Monasterio quæsitum fuisse ius, vt firmitèr super ijsdem corporibus allegare possit exemptionem à controuersis decimis iuxtà censuram *Text. in cap. 1. iuncto §. fin. de præscript. in sextò glos. in cap. Cum in aliquibus, verbo loci consuetudine in fin. de decimis, Rebuff de decim. quæst. 13. num. 63. Monet. eodem tractat. cap. 5. num. 117. Posth. de manut. obs. 45. nu. 22. & seqq. Rota coram Castal. decis. 656. num. 10. coram Celso decis. 110. n. 5. & in recent. decis. 101. à num. 2. ad 6. par. 11. & decis. 206. n. 3. par. 13.*

Nec retricari valeat probatio ex dictis Testibus resultans, ex eo quod tunc actum fuerit in judicio possessorio, in quo Testes fuerunt examinati, proindequè æquum non sit, vt ex eisdem probationibus regulam sumat iudicium plenarium, in quo versamur. Quandoquidem cùm Moniales fuissent in ius vocatæ à Promotore Fiscali Curiæ Metropolitanæ pro exactione Decimarum lánæ, casei, ac agnorum prouenientium ex grege, quem nouissimè introduxerant in Territoria de Perobequez, & Vrtada, dictæque Moniales opposuerint consuetudinem immemorabilem non soluendi Decimas ex quibuscumque fructibus, quos in ijsdem Prædijs proprijs sumptibus excultis colligebant, Iudex per decretum eas admisit ad probationem, Moniales verò in termino probatorio produxerunt articulos super eadem immemorabili, qui citata Parte fuerunt ab ipso Iudice admissi, proùt etiam citata Parte completa fuit probatio per examen Testium;

qua-

quapropter licèt Teſtes examinati ſint in iudicio poſseſsorio perindè habendum eſt eorum teſtimonium ad plenè probandum in petitorio, cum non verſemur in terminis ſimplicis ſummariæ informationis, ſed plenariæ, ac formalis probationis ſeruatis probatoriis terminis, ac neceſsariis citationibus peractæ, quibus circumſtantiis concurrentibus, Teſtes examinati in iudicio poſſeſsorio probant etiam in petitorio iuxtà diſtinctionem traditam à *Felin. in cap. Cauſam, quæ num.6. de Teſtibus, Maſcard. de probat. concluſ.1209. num.1. Couar. pract.quæſt. cap.17. num.9. Menoch. de retinend. remed. vlt. num.38. Chriſt. de Paz de Tenuta cap.32. num.8. Surd. de aliment. par.1. quæſt.127. num.11. Poſt. de manut. obſ.39. num.1. & 2., Rot. poſt eundem deciſ.71. num.2. & cor. Dunoz. iun. deciſ.951. num.3.*

Ità etiam obſtare non debet, quod examen præfatorum Teſtium peractum fuerit in litigio tùnc vigente ſuper Decimis debitis ex fœtibus Ouium, lana, & caſeo, quæ cùm dicantur Decimæ mixtæ ab ipſis fieri nequeat extenſio ad Decimas prædiales: enim verò animaduertendum eſt quæſtionem eo tempore promotam fuiſſe ſuper Decimis gregum, quos Moniales nuper introduxerant in Territoria de Perobequez, & Vrtada, à quibus, vt ſe eximerent Moniales, cum probare non poſsent quaſi poſseſsionem non ſoluendi dictas Decimas gregum antecedenti ſolùm anno introductorum, hinc probandam aſsumpſerunt conſuetudinem immemorabilem non ſoluendi Decimam ex quibuſcumque frugibus, quæ in præfatis Territorijs proprijs expenſis cultis recolligebant; Vndè arguere opòrtet, exemptionem à Decimis animalium baſim ſuam habuiſse ſuper altera exemptione à Decimis Prædiorum, nec in tali cathegorìa Decimas gregum reponi poſſe inter Decimas perſonales, ſeù mixtas, nàm cum ſubrogatæ intelligantur in locum Decimarum, quæ ſoluendæ eſsent ex fructibus terrarum, ſeù paſcuis, licèt ratione cuſtodiæ, ac hominis induſtriæ aliquo modo participent de perſonalibus, adhuc tamen quia magis accedunt prædialibus reputandæ ſunt quoad iuris effectum ad inſtar Decimarum prædialium iuxtà *gloſ. in cap. Ad Apoſtolicæ de Decimis, verbo Perſonales, Gonzal. Tellez in cap. Cum ſint homines 18. num.2. circa fin. de Decimis, Rebuff. de decimis quæſt.6. num.26. & ſeqq. & quæſt.7. num.25. Nauar. conſ.2. num.7. Valenzuel. conſ.8. num.1. & ſeq. tom.1. Barboſ. de Paroch. par.3. cap.28. §.1. num.12. & §.2. num.37. Rota coram Coccin. deciſ.1586. num.34.*

Cùm namque de iure communi ex paſcuis etiam Decimæ ſoluendæ ſint Eccleſijs ex *Text. in cap. Commiſſum, vbi Abb. num.2 de decimis, Card. in Clem.1. num.15. tit. eodem, Rebuff. d. tract. qu.8. num.22. Gonzal. in cap. Cum omnis ſub num.5. paritèr de decimis Solorz. de iur. Indiar. tom.2. lib.3. cap.21. num.6.* quando illæ ſol-

solui nequeunt ex ipsismet fructibus terræ, vt sunt frumentum aliæque segetes, quæ sunt in fructu, vsus, & consuetudo induxit Decimas animalium loco fructuum subrogari in fœtibus eorundem animalium in Prædiis decimabilibus depascentium, vt singulariter aduertunt *Rebuff. de decimis d.quæst.8. num.2. Card. de Luca de regal. disc.59. num.8. & de decimis disc.8. sub num.5.* Animalia enim in fructu Prædiorum sunt, *Text. in leg. Item si 10. §. Aucupiorum ff. de vsufruct. Gonzal. in dicto cap. Cum sint homines num.2. circa fin. de decimis*, & vbi existant in pascuis pars Prædii, quod depascuntur nuncupantur ex *Text. in leg. Pecoris ff. de seruitut. rustic. prædior.* ibi = *Pecoris pascendi seruitutes &c. Prædii magis quam personæ videntur* = *& in leg. fundo, Cod. de verb. signif.*, & ad rem nostram in specie monuit *Gonzal. in dicto cap. Cum sint homines 7. sub num.4. eodem tit. de decimis*.

Tali autem modo asseri nequaquam potest extensionem fieri de re ad rem, quia cum controuersia versetur super fructibus eiusdem Territorii, nequè extensio proponatur de vno Prædio ad aliud, quemadmodum si in ipso Territorio mutatus fuisset modus culturæ, & cæpisset loco vnius segetis seri solitæ, alia seminari, vel loco vineæ oliuetum plantari, decima debita esset in illis fructibus, qui colligerentur, vel si præscripta fuisset in antiquis fructibus, præscripta paritèr dicenda esset in illis nouissimè introductis, vt firmat *Panormit. in cap. Cum in tua 30. de decimis, Fagnan. in cap. cum contingat num.13. pariter de decimis, Passerin. in 3. sexti Decretal. tit. de decimis quæst. vnica artic. 14. num. 303. Moneta de decimis cap.2. num.89. Barbos. de Parochis cap. 28. §. 2. num. 59., Gratian. disceptat.113. Giouagnon. cons.18. nu.7. & 8. Post. de manut. obs.73. à num.136. Rota decis.17. num.10. part.2. diuers. & decis.677. num.3. part.1. & decis.502. num.1., & 2. part.4. tom.1. recent.*

Ità à pari cum animalia depascentia in Territoriis de Perobequez, & Vrtada essent in fructu eorundem Territoriorum, dùm exemptio mediantibus Testibus anno 1641. adductis firmata omnimodè fuit respectu gregum, vt nempè ex illis nulla Decima lanæ, casei, ac fœtuum debita esset, hæc eadem exemptio proficere debet pro alijs speciebus fructuum, quæ in ijsdem Territoriis ex post colligi contigit loco gregum, qui in ipsis priùs depascebantur, nequè talis extensio prohibita est, cum se habeat ad species fructuum eorundem Prædiorum, in quibus æqualis est conditio, & determinatio per *Text. in cap. Cum in tua 30. de decimis, ibique Barbosa in collectan. num.2. Couarr. pract. quæst. cap.37. num.5. Suarez de Relig. tom.1. tract.2. lib.1. cap.21. n.4. Rebuff. de decimis quæst.14. num.18. & 25. Rota decis.805. n.4. par.4. diuers.*

Nec obstare potest in illo iudicio anni 1641. Iudicem pronunciasse

se fauore Monialium in simplici , & nudo dumtaxàt possessorio quoad decimas pecudum , nullatenùs verò quoad eas Prædiorum, propterea què attendendum non esse quidquid circà has Decimas dixerint Testes citrà quæstionem tùnc vigentem, quorum assertionem à Iudice earum respectu reiectam fuisse censendum sit : Quoniàm argumentum vim habere posset , si Ministri Archiepiscopatus judicium instituissent super solutione Decimarum omnium fructuum , quos Moniales recolligebant in Prædiis de Perobequez , & Vrtada ; nullatenùs verò cum solummodò institerint pro manutentione in quasi possessione exigendi decimas pecudum ; quamobrem non ex eo , quod Iudex concessit Monialibus manutentionem in quasi possessione non soluendi Decimas agnorum , & lanæ , asseri potest , quod reiecerit probationem factam ex parte Monasterii , quinimò dicendum est , motum fuisse ad talem decernendam manutentionem vigore possessionis immemorabilis non soluendi Decimas ex cæteris frugibus eiusdem Territorii ex Testibus probatæ , & solum se continuisse in nudo possessorio circà Decimas Ouium quia ità tantummodò ferebat instantia pro parte Archiepiscop promota , regulariter enim Iudex non interloquitur , nisi cohærenter ad instantiam , & decreta, & sententiæ magis latam recipere possunt interpretationem ex actis occasione controuersiæ gestis *l. si ex testam.20. ff. de re iudic. Rot. coram Vbald. dec.594 n.2., cor. Merlin. dec.611. n.6. & 9., cor. Bichio dec.345. n.17 & in rec. dec.669. n.5. par.18. & dec.469. n.33. par.19.*

Parumquè refert, quod aliqui Testes examinati in hoc judicio anno 1705. dixerint, quod in his Territoriis de Perobequez, & Vrtada ante quadraginta annos parum culturæ exercebatur , quæ assertio immemorabili obstare possit, nàm cum insimùl dixerint in ea parte, quæ colebatur sumptibus Monasterij , Decimas non fuisse solutas, non remansit interrupta possessio innixa immemorabili iam ab anno 1642. probatæ , nec mirùm est , si imminuta fuerat cultura terrarum, quia cum Moniales circà annum 1640. introduxissent in ista Prædia greges Ouium , tùnc loco fruendi exemptione à Decimis frumenti, & aliarum segetum fruebantur exemptione à Decimis lanæ , agnorum , & casei prouenientium ex pecoribus , quæ in Territorio depascebantur , istique fructus erant subrogati loco illorum, qui priùs ex cultura terrarum colligi consueuerant, vt ponderat *Card. de Luc. de decimis disc. 8. n. 5.*

Et ità in hunc modum conclusum fuit , partibus strenuè vtrinque iura sua deducentibus .

ROMÆ, Typis Reu. Cam. Apost. 1723.)(*Super. lic.*